



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 86. Continuata vexatio in Mariam Stuartam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

ad Londinensem turrim captivus abstrahatur. Sæcul. XVI.  
A.C. 1571.

§. LXXXVI.

*Continuata vexatio in Mariam Stuartam.*

Penes Norfolciæ Ducem prolixæ reperiebantur literæ septima Februarii die arcanis notis scriptæ, in quibus Scotiæ Regina eidem, ut potius in Hispaniam, quam in Gallias secederet, author exstitit, pollicita, quod tunc, si libertati reddita ipsamet quoque eo contendere posset, se Joanni Austriaco nupturam simulare vellet, ut hac ratione eo tutius amicitiam, qua ipsum Ducem honoraret, tegere valeret: insuper eundem Norfolcium rogabat, ut Rodolphum Romam ablegaret, eumque de mutuo utriusque statu, atque amborum calamitatibus plene instrueret. His indiciis suffulti Judices Ducem quæstioni subiciebant, qui cuncta etiam fatebatur, pernegans tamen hoc scriptum, quod a se combustum fuisse credebatur, atque a suo Secretorum Ministro traditum ignorabat. Postea universo Ducis Palatio perlustrato arcanæ notæ clavis, qua Regina Scotiæ, & Dux utebantur, fuit reperta, atque complicum nonnulli, qui capiebantur, cuncta ipsis nota haud reluctantè fassi

*Hist. Eccles. Tom. XLVIII, Tt sunt:*



Sæcul. XVI. sunt: quapropter anno sequenti die  
A.C. 1571. quinta Junii Dux capite plexus obiit (\*).

Sub idem tempus pariter in Scotia adversus Mariam Stuartam consilia cubabantur, ac præprimis Santandreasus Archiepiscopus Proregis jussu captus laqueo vitam finire cogebatur, eo quod violentæ necis defuncto Regi illatæ conficius infimularetur: attamen hæc Proregis sententia, ac inhumana agendi ratio majorem adhuc dissensionem inter Reginæ fautores, & eidem adversantes accendere cæperat, adeo, ut res ad apertum bellum spectaret, in quo etiam Prorex vulneratus paucis post diebus animam exhalavit.

§. LXXXVII.

*Colinius Architalassus in Aulam reversus.*

(\*) Hæc Continuator absque ullo teste allegato audacter refert, cum tamen Scriptores rem longe aliter enarrant, uti videre est apud Thuanum, aliosque: Attamen Historici, qui toto studio Mariæ Stuartæ innocentiam deprimere, hæreticis applaudere, & Ecclesiam convitiis onerare intenti sunt, ejusmodi artibus, ac calumniis suas Historias locupletare coguntur, commentis in veritatis defectum adductis.